

tum obtinet, quum quis nescit redarguere, nimirum aliud redarguit atque illud quod sub lite est; sive *nimis* probet, sive *non satis*, sive *præter* quæstionem, sive quò facilius adversarium refellat, tribuat illi sententiam falsam, quam ille non admittit. In hoc sophisma incidunt impii qui dicunt doceri ab Ecclesiâ unum et tria esse idem, eò quòd docet in SS. Trinitate tres personas in unâ esse naturâ.

Ista porrò fallacia seu ex ignorantia, seu ex malâ fide proveniat, frequens est in consuetudine hominum.

4. *Fallacia consequentis* adest, si quis convertat quæ non convertuntur; ut in hoc exemplo: Si est homo, est animal; sed est animal; ergo est homo.

5. *Petitio principii* sive *reditus ad principium*, habetur quum quis pro principio accipit illud quod est in quæstione, ita ut idem assumatur ad probationem sui ipsius, sub alio vocabulo; e. g., si quis probaret animam humanam simplicem esse, quia ex partibus non componitur.

Petitioni principii affinis est *circulus vitiosus*, in quo *prius probatur per posterius, et posterius per prius*; ita faceret si quis probaret Deum existere, quia mundus existit, et mundum existere, quia ad illius affirmandam existentiam ferimur propensione invincibili, quæ a Deo habet quòd sit infallibilis.

6. *Non causa pro causâ* est fallacia in quâ quis rei cuidam causam attribuit, quæ vel non existit, vel saltem non est illius causa. Quamobrem in istam incidunt fallaciam: 1° qui adhibent voces nonnullas quibus nil reale designatur aut explicatur, quales sunt hæ voces: *fortuna, qualitates occultæ, sympathiæ rerum*; — 2° qui pro causâ sumunt id quod duntaxat præcedit effectui, vel eum comitatur: *post hoc, ergo propter hoc*; — 3° qui pro causâ effectûs allegant vel causam merè *occasionalem*, vel causam quæ non est nisi conditio *sine quâ non effectûs*; v. g., si domûs illuminatio fenestræ attribueretur.

7. *Fallacia plurium interrogationum* in eo jacet ut plures interrogationes, quibus diversa responsio est afferenda, per modum *unius* proponantur, ita ut respondens capiatur, quid-

quid dixerit. V. g., si tibi diceretur: Desistine furari? duo continuerentur hacce interrogatione: 1° num furatus es? 2° num adhuc furaris? Porrò si responderes: desii, adversarius argueret: ergo furatus es; si verò: non desii, jam argueret: ergo furaris.

Ut videtur attendenti, pleraque ex sophismatibus in eo peccant quòd quatuor terminos in syllogismum inducunt.

PUNCTUM II. — *De fontibus et remediis errorum.*

I

313. *Notio erroris.* — Error est *judicium falsum quo quis vel affirmat esse quod non est, vel negat esse quod est.* (*Supra*, n. 18 et t. II. n. 68). Quare tum ab ignorantia tum a veritate incompletâ seu partiali discrepat (*supra*, n. 18 et *infra*, 336).

II

314. *Possibilitas et probabilitas erroris.* — Quidquid imperfectum est, potest etiam a suâ regulâ deficere. Sed hominis ratio est admodum imperfecta; unde quanquam naturæ impetu ad verum fertur, facilè potest in errorem induci; quia, monente D. Thomâ, « *ipsæ rerum natura hoc habet, ut quæ deficere possunt quandoque deficiant.* » — Quòd si fingeretur homo laboris amans, semper diligens et attentus, prudens, humilis, patiens, ad veritates omnes et injunctas accipiendas æquè pronus, ab omnibus demum passionibus vacuus, aut veritatem inveniret, aut saltem, stante dubio, ab affirmatione temerariâ temperaret sicque declinaret ab errore. Ast autem rigida illa et constans animi virtus, quàm aliena sit ab hominis quem præ oculis habemus naturâ, nemo est qui non videat (*supra*, n. 92). Homo quidem potest, ope attentionis, *singulos* errores, sigillatim sumptos, effugere, non autem *omnes*, quia id vigilantiam ac virtutem exigit quæ suprâ illius conditionem est.

III

Fontes erroris. — Error porrò duplici *generatim* ex fonte dimanare solet, alio quidem *externo*, alio verò *interno*.

315. Fontes externi. — 1° *Educationem* eruditionemque accipit homo ab aliis; ii autem quibus naturâ credere solet aut inscii ipsi, aut etiam ex industriâ illum fallere possunt, quin sæpe habeat unde agnoscat eos esse deceptos vel deceptores.

2° Præterea, *religione* falsâ potest a puero imbui, imò contra religionem omnem institui. Qui cùm affectus animi altiùs inhæreat, et in sensus plurimos ac maximè intimos influat, multorum causa fit errorum, quos postea purgare admodum difficile est. Quare ipsâ constat experientiâ *præjudicia* ex hoc fonte dimanare lugenda, quæ multorum hominum iudicium inficiunt quoad constitutiones, personas, et rem moralem pene omnem.

3° Insuper, non primis tantùm annis homo docetur, sed in omni vitæ curriculo, cum variis hominibus, ope societatis, perpetuum agit commercium; audit aliorum sermones, legit scripta. *At sermo* ipse multas continet voces aut propositiones ambiguas ac dolosas, quæ innumera generat *sophismata* (*supra*, n. 311). Ut pauca sumamus exempla, quis numerare possit *sophismata* in his vocibus tam hodie celebratis latitantia: *Libertas, æqualitas, scientia, progressus, civilis cultus*? Aut quis satis deplorare valeat innumeros detestabilesque errores qui, nostris præsertim diebus, pululant « ex execrandâ illâ et effrenatâ artis librariæ libertate ad scripta *quælibet* edenda in vulgus » (1)?

4° Accedit quòd unusquisque nostrum nascitur ac vitam agit in *tali gente*, in *tali tempore*; at nulla gens est, nulla ætas, quæ præiudiciis *propriis* aut passionibus careat. Sic formari solent *communes* quædam opiniones, ad locum vel tempus pertinentes, quæ ex communitate ad privatos homines transeunt, et pro axiomatibus, absque inquisitione, accipiuntur, licèt puræ minimè sint ab omni erroris admistione.

(1) *Encycl. contra diarium l'Avenir*, SS. Gregorii XVI.

316. Fontes interni. Homines ferè omnes in propriâ *indole semina* quædam errorum habent, quæ vel in *sensibus*, vel in *intellectu*, vel in *corde* agunt radices.

1° Quorundam enim *ægrum* est corpus, quorundam sensus nonnulli aut non integri, aut satis obtusi, infirma imaginatio, vel æquo vehementior. — 2° Alii haud *recto* utuntur ingenio, aut a sensibilibus erigere se nesciunt, ex primâ rerum facie iudicant, hærent in superficie. — 3° Alii non omnes facultates ad cognitionem destinatas, sed quasdam tantùm adhibent, vel de certis rebus iudicare volunt ope alicujus facultatis quæ ad illas non ordinatur; v. g., de rerum essentiâ pronuntiant ope sensuum qui non attingunt nisi exteriora accidentia (*supra*, n. 47); vel de rebus *abstractis* per *imaginationem*, quæ apud eos præsertim floret, vel contra, de physicis ac factis per *mathematica* principia, ut Cartesius, vel demum per rationem *puram* et demonstrationem de iis quæ ad litteras, bonas artes, aut vitæ negotia pertinent (*infra*, n. 344).

4° Multi *methodum* tenendam non sequuntur; quidam enim toti sunt in *analisi empiricâ*, unde principia et rerum causas vel ignorant vel despiciunt; alii, e regione oppositi, solam amant *synthesim*, *a priori* de rebus decernunt finguntque systemata quæ postea naturæ applicant, nedum illam ante interrogent aut ei sese accommodent. Priores porrò a sensualismi, posteriores autem ab idealismi erroribus alieni esse omnino non possunt.

5° Adjice tandem *passiones*, ex quibus, velut ex perenni fonte, errores erumpunt certatim (1). Istæ quippe obnubilant mentis oculum, voluntatem ipsam inficiunt, et hominem a tramite veri cogunt exulare. Nam rationem prohibent ne ad varios rerum aspectus attendat, et inducunt ut eas potiùs alio quàm alio aspectu consideret; unde fit ut non prout *sunt* in seipsis, sed prout *placent* animo videantur.

Porrò inter passiones quæ plurimorum errorum origo solent esse, tres ante alias numerare licet, nimirum *pigritiam*,

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part., c. 2, § 2.

quæ a labore et consideratione sedulâ removet; *superbiam*, quæ a D. Thomâ dicitur « *mater erroris* » (*supra*, n. 92), et inordinatum *amorem*. — Is autem quadrifariam dividi potest : nempe amor *voluptatis*, quæ, docente D. Thomâ, hebetem reddit mentem : « stultitia, quæ est peccatum, est filia luxuriæ, » (2^a 2^m, q. 46, a. 3); amor nimius *antiquitatis*, qui avertere potest a novis rebus aut factis considerandis aut probandis, ac falsum reputat quidquid priscis opinionibus adversatur; amor nimius *novitatis*, qui traditionem omnem pro jugo habet, inventa vel dicta veterum ex industriâ negligit (*supra*, *Proem.*, p. 3), et omnem opinionem novam statim probat sine inquisitione; amor nimius *scientiæ universalis*, quo qui ardent, ad omnia simul discenda sine ordine accedunt, de cunctis aliquid summis labiis gustant, sed nullius rei naturam medullamve assequuntur, evaduntque perquam mobiles, varii, præcipites necnon superbi.

IV

317. Remedia errorum (1). — Remedia porrò a morbis ipsis indicantur; quotuplex enim erroris fons, totuplex et remedium sumatur oportet.

1^o Jam alia quidem *specialia* seu *individua* sunt, pro cuiusque hominis vitio, excessu vel defectu, ingenio, indole, inclinatione, conditione, ætate. Hæc enim omnia, ut peccati, ita etiam erroris privati causa esse possunt, ac suum proinde remedium postulant. Cùm verò innumera sint, de iis interim dicere non licet; seipsum quisque cognoscendum curet, ut opportuniora morbis quibus laborat adhibeat remedia. — Faciet autem optimè, si doctorem aut monitorem prudentem eligat, cujus consiliis frequens utatur.

2^o *Communia* autem contra errores remedia, ut compendio amplectamur, numerabimus octo videlicet : 1 *amorem veritatis* generosum et plenam sinceritatem; 2 *humilitatem* (2)

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^o part., c. 3, § 5.

(2) Ad veritatem inveniendam, perbellè ait Augustinus, « ea est con-

animi; 3 cordis *puritatem* (maximè quoad veritates morales); 4 altam in considerando *attentionem*, a præposterâ festinatione alienam; 5 in quærendo *perseverantiam*, quia sæpe nonnisi serò revelat se veritas, præsertim cùm quæritur ab experimentis aut longis ratiocinationibus; 6 cuiusque criterii variarum *regularum* diligentem applicationem; 7 methodum non exclusoriam, sed *completam*, diversis rebus ac quæstionibus *propriam*; 8 prudentem in multis *dubitacionem*, quæ aut forte revelabit postea veritatem, aut saltem ab errore declinabit (*infra*, n^o 324). Quare sapienter te monet Cartesius, *ne plus unquam affirmes quàm percipias*. At quanquam errandi metus haberi potest, in re philosophicâ, ut « initium sapientiæ », non tamen ita mentem continere debet, ut nihil affirmare audeat et in cunctis hæreat anceps. Ut enim ridiculum ille se præberet, qui tutus nimium et semper casus timidus, ne pedem quidem auderet movere, sic etiam ille qui, erroris formidine, nihil affirmaret, sed paralytici more teneret se immobilem. Cautè incede, sed incede tamen, eo semper animo, ut viam mutes et retractes libens errorem, si forte erraveris.

ditio, prima, humilitas, secunda, humilitas, tertia, humilitas, et si amplius me interrogares, semper eodem modo responderem. » (*Epist.*, 118, *Dioscoro*, c. 3).